

16 Respondere concessa Majori, negando Minorem, ad cuius probationem negatur sequela, & ad illius probationem, dicendum cum S. Thoma hic art. 1. ad 3. quod nihil prohibet aliquid esse causam altius, quantum ad aptitudinem & congruitatem, quae tamen remota illud non tollitur; quia est fieri altius dependeat ab aliquo, postquam tamen est in facto esse, ab eo non dependet: sicut si inter aliquos amicitia causatur, aliquo mediantibus, eo cedente, adhuc amicitia remanet; & si aliqua in matrimonium ducitur propter pulchritudinem, quae facti congruitatem in muliere ad copulam conjugalem, tamen pulchritudine cessante, adhuc durat copula conjugalis. Ita similiter separata anima, remanet unio Verbi ad carnem.

ARTICULUS II.

Utrum gratia habitualis habeat rationem medii, seu dispositionis physicae, aut moralis, ad unionem hypostaticam?

17 Affirmant Aletius, Gabriel, & alii antiqui Theologi, ex hoc inferentes solum naturam intellectuales, quae est capax gratiae & beatitudinis, posse assumi a Persona Divina. Negat vero D. Thomas hic art. 6. & quae seq. art. 13. & supra q. 2. art. 10. quem sequuntur communiter Theologi tam domestici, quam extranei, cum quibus

Dico, gratiam habituales in anima Christi existentem, non habuisse rationem medii, seu dispositionis physicae, aut moralis, ad unionem hypostaticam cum Verbo: posse tamen dici medium congruentiae respectu huius unionis.

18 Prima pars probatur: Dispositio physica & ex natura rei, debet esse ejusdem ordinis cum forma ad quam disponit, ac illam necessario secum trahere, omniaque quae illius introductionem impediunt destruere: Sed gratia habitualis non habet tres illas condiciones, respectu unionis hypostaticae: Ergo non est, nec dici potest dispositio physica, respectu illius. Major patet exemplo dispositionum naturalium; videmus enim calorem ut octo esse ejusdem ordinis cum forma ignis, illamque secum necessario trahere, & frigus ac humiditatem, quae ejus introductionem impediunt, proflus expellere. Minor vero suadetur quantum ad singulas partes. Et in primis quod gratia non sit ejusdem ordinis cum unione hypostatica, patet: ergo enim hypostaticus est superior ad ordinem naturae & gratiae, & cum infinitam Verbi Divini personalitatem involvat, utrumque ordinem veluti in infinitum excedit. Quod vero gratia, nec hypostaticam unionem secum infallibiliter trahat, nec illius impedimenta destruat, facile suadetur: nam gratia habitualis ordinatur tanquam ad finem ad beatitudinem a cuius ademptionem habet quod sit consummata; ad unionem vero personalem cum Verbo, nullo pacto ordinatur; unde quantumcumque gratia crescat in anima iusti, nunquam tamen infallibiliter habet iunctam unionem illam hypostaticam. Insuper ut destrueret impedimenta talis unionis, necesse esset ut propriam naturam creatae personalitatem consumeret, plerumque cum illa incomposita: certum est autem gratiam sanctificantem id non praestare, sed potius illam, ut cetera dona supernaturalia, subiectum suum naturale perficerent.

19 Probatur secundo eadem pars: Gratia habitualis est forma in anima, & tamen non solum anima Christi, sed etiam corpus ejus, unitum est divinae personae, propter quod dicitur plenitudo divinitatis habitasse in Christo corporaliter, ut docet D. Thomas supra q. 2. art. 10. ad 2. Ergo gratia sanctificans non est dispositio physica & ex natura rei ad unionem hypostaticam requisita. Ad hoc quod quilibet natura, etiam irrationalis, assumptibilis est a Persona Divina, ut dispositiones praecedentem ostensum est, tamen natura irrationalis non est capax gratiae habitualis, sicut nec gloria: Ergo &c.

20 Probatur etiam secunda pars conclusionis: Quilibet dispositio, etiam moralis, debet antecedere aliquo modo formam ad quam disponit: At gratia habitualis nullo modo antecedit unionem hypostaticam, sed illam subsequitur: Ergo non potest dici dispositio moralis, respectu illius. Major patet: nam dispositio moralis ea est, quae ut existens movet intellectum & voluntatem agentis ad inducendam formam in subiecto: Ergo prius existit quam illa. Minor vero probatur a D. Thoma quaestione sequenti art. 13. triplici ratione, & potest insuper suaderi: Christi anima eo naturae ordine habuit subsistere in Verbo, quod de se debuisset subsistere propria subsistentia, si ab illo assumpta non esset: At si assumpta non fuisset ad subsistentiam Verbi Divini, prius natura habuisset subsistere sua subsistentia, quam recipere gratiam sanctificantem, cum anima prius debeat compleri substantialiter, quam accidentaliter perfici per gratiam: Ergo etiam prius natura est, quod humanitas Christi per gratiam unionis in Christo subsistat, quam per gratiam habituales sanctificetur, & perficiatur accidentaliter.

21 Ad hoc, quod si gratia habitualis antecederet in aliquo priori temporis aut naturae unionem hypostaticam, in il-

lo priori constitueret Christum filium Dei adoptivum, & sic Christus prius esset filius Dei adoptivus, quam naturalis, quod est erroneum. Sequela probatur. Proprius effectus gratiae habitualis est constituere subiectum suum, filium Dei adoptivum, nisi a filiatione naturali praevenerit & impediatur: At si gratia habitualis praevenerit in Christo gratiam unionis, non praevenerit, nec impediatur a filiatione naturali, nec constitueret Christum filium Dei adoptivum: Ergo Christus prius esset filius Dei adoptivus per gratiam habituales, quam naturalis per unionem hypostaticam.

22 Confirmatur: Dispositio moralis illa dicitur, cuius intuitu forma subiecto tribuitur: Sed gratia unionis non est concessa Christo intuitu gratiae habitualis, sed potius e contra intuitu & ratione unionis hypostaticae, data sunt Christo charismata omnium gratiarum, juxta illud Joann. 1. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae & veritatis. Ubi ex filiatione naturali inierit Evangelista plenitudinem omnium gratiarum, quae in Christo ex unione personali cum Verbo, tanquam rivuli e fonte promanant. Quare gratia habitualis potest vocari medium congruentiae, respectu unionis hypostaticae; non quidem illam antecedens, sed consequens, in quantum scilicet decens & congruum fuit, quod Verbum Divinum assumeret humanitatem repletam gratia, & omnibus virtutibus ac donis exornatam: sicut in virgine Principi dispensata, annuli, jocalia, & ceteri ornatus, possunt dici medium congruentiae, in quantum reddunt illam Principi congruam. Unde S. Doctor in 3. dist. 2. quest. 2. art. 2. in corp. In natura humana invenitur quaedam superadditio, quibus redditur decens ut assumatur a Divina Persona, ut scientia, virtutes, & hujusmodi, unde ipsa possunt quodam modo dici medium congruentiae. Et ibidem ad Annibal. dum quae. unica artic. 2. sic ait: Loquendo de medio congruentiae (Verbum Divinum) animam mediante gratia assumptis, quia congruum erat animam suam imagine inspicere, & gratia repletam assumere. Item quest. 29. de veritate art. 2. expresse asserit, quod gratia habitualis fuit dispositio per modum congruitatis ad unionem hypostaticam humanitatis Christi cum Verbo. Ex quibus probata manet tertia pars nostrae conclusionis.

23 Obijcies contra primam partem: Omne quod elevatur ad formam naturam suam excedentem, debet prius aliqua dispositione preparari, & reddi capax illius, ut docet D. Thom. 1. p. quae. 12. art. 6. & explicit exemplo aeris: aer enim ut recipiat formam ignis, quae est supra ejus naturam, debet disponi ad illam per calorem excedentem suam naturam, & corpus ut recipiat formam lucis, debet disponi per diaphaneitatem: Sed unio hypostatica est supra naturam humanitatis Christi: Ergo ut ad illam elevetur, habet aliqua dispositione preparari & coaptari, quae nulla alia esse potest quam gratia habitualis.

24 Confirmatur primo: Ut divina essentia per modum speciei uniat intellectui creato, oportet quod ipse intellectus ad talem unionem disponatur per lumen gloriae, ut docet D. Thomas loco citato: Ergo cum humanitas non minus distet a divina subsistentia & personalitate, ut ipsi conjugatur per unionem hypostaticam, oportet quod per gratiam habituales ad illam disponatur & preparatur.

25 Confirmatur secundo: Ordo divinae sapientiae postulat ut quae maxime distant non uniantur immediate, sed per aliquid quod minus distet ab utroque extremo, teneaturque medium locum inter illa: At humanitas & personalitas Verbi Divini, maxime distant inter se, & inter illas medium locum tenet gratia habitualis: Ergo humanitas non fuit unita immediate Verbo, sed media ipsa gratia. Major patet: nam ad extremum in extremum non fit transitus sine medio. Minor vero probatur: Humanitas est substantia aliqua finita, ordinisque naturalis, & personalitas Verbi est quid infinitum, & ordinis supernaturalis: Gratia vero habituales, licet sit entitas aliqua finita, est tamen supernaturalis, & perfectissima participatio divinae naturae: Ergo medium tenet locum inter humanitatem Christi, & personalitatem ejus.

26 Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: Quod elevatur ad formam perquam constituitur in ratione operantis, & a qua habet solum esse secundum quid, concedo Majorem. Si elevatur ad formam, per quam constituitur in ratione hypostaticae seu personae, & a qua habet esse simpliciter, & personale, nego.

Expliciter solutio: Si natura aliqua elevetur in ordine ad operationem, debet disponi per habitum, vel per aliquid aliud quod potentiam compleat in actu primo, sicut sancta gloria elevat intellectum beati ad operationem ad quam natura intellectiva non est sufficienter completa, nimirum ad visionem beatificam. Si autem natura elevetur ad esse simpliciter, ad quod immediatum ordinem habet, non est necesse quod prius recipiat aliquem habitum aut dispositionem per quam compleatur. Unde quia substantia creata immediatum ordinem habet ad subsistentiam a qua recipit esse simpliciter, nulla eget dispositione ad illam, neque ad aliam loco propriae subsistentiae: quapro-

quapropter ut humanitas Christi, personalitati Verbi uniat, nulla eget dispositione & preparatione, sed sola potentia obedientialis ad illam recipiendam sufficit.

27 Hic patet solutio ad primam confirmationem, & disparitas quae reperitur inter essentiam divinam, ut gerentem vires speciei in visione beatifica, & inter subsistentiam Verbi Divini, ut terminantem humanitatem Christi: Nam essentia divina, cum unito intellectu creato per modum speciei, unitur illi per modum principii visionis beatificae, & consequenter debet supponere ipsum intellectum potentem in suo genere, nimirum per modum potentiae, ad elicendam talem operationem, species enim non unitur, nisi potentiae iam habenti sufficientem virtutem in suo genere ad elicendum actum ad quem determinatur per ipsam: intellectus autem creatus non habet sufficientem virtutem in suo genere ad elicendam visionem Dei, nisi per lumen gloriae: ut in Tractatu de visione beatifica ostensum est. Ceterum personalitas Verbi unitur humanitati Christi per modum complementi & termini illius in genere substantiae ac proinde immediate, & antecedenter ad quodcumque accedens disponens ad talem unionem.

28 Ad secundam confirmationem, distinguo Majorem: Ordo divinae sapientiae postulat ut quae maxime distant non uniantur immediate, si illa inter se comparantur per modum potentiae & actus, seu operativi & operationis, concedo Majorem. Si se habeant per modum terminantis & terminabilis, nego Majorem; nam illa quae sic comparantur, habent immediatum ordinem, praesertim quando id quod terminat dat esse simpliciter, ut contingit in proposito; subsistentia enim Verbi dat humanitati esse simpliciter, subindeque natura humana nullo indiget habitu aut dispositione, per quam compleatur & preparatur ad illam recipiendam, sed sola potentia obedientialis sufficit, ut supra ostendimus.

DISPUTATIO XI.

De Gratia Christi Substantiali.

Hic agitur de Incarnationis Mysterio, seu de unione hypostatica, & extremis ad illam concurrentibus, persona nempe Verbi assumentis, & natura humana assumpta. Agendum modo est de concomitantibus talem unionem, quorum aliqua pertinent ad perfectionem, ut gratia, scientia, & potentia animae Christi, alia vero ad defectus corporis & animae, quos Christus in humana natura assumpsit. Porro gratia Christi, de qua differit Sanctus Doctor quae. 7. & 8. duplex est: altera substantialis, nempe unio Verbi cum natura humana, per quam humanitas Christi minime sanctificatur; altera accidentalis, sed etiam a Christo ut capite & vite, in alios sanctos, ut in membra & palmis derivatur, unde a Theologis in personalem & capitalem distinguitur. Antequam ergo de scientia & potentia animae Christi differamus, agendum est de triplici ejus gratia, quam D. Joannes capite primo sui Evangelii breviter insinuavit. Nam de gratia substantiali & unionis dicit: Verbum caro factum est. De gratia Christi, ut singularis persone, subdit: Vidimus eum plenum gratia & veritate. Demum gratia capitalis illius insinuatur, cum infra dicitur: De plenitudine ejus nos omnes accepimus.

ARTICULUS I.

Utrum humanitas Christi sanctificetur formaliter per aliquod donum substantiale, a gratia habituali distinctum?

1 Partem negativam tenent Paludanus in 3. dist. 13. q. 2. conclus. 1. Durandus eadem dist. quae. 1. num. 8. & Rada 3. p. controv. 4. art. 3. conclus. 4. ubi ait esse Scotiis communem. Sententia tamen affirmans ab aliis Theologis, tam domesticis, quam extraneis communiter recipitur, & colligitur ex Conciliis & SS. Patribus, atque insinuatur a D. Thoma variis in locis, §. sequenti referendis.

S. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur: Humanitas Christi Domini est grata & sancta formaliter, per aliquod donum substantiale, a gratia habituali distinctum, nimirum per gratiam unionis. Colligitur ex D. Thoma hic quae. 7. art. 1. ubi ostendit necessitatem gratiae habitualis in anima Christi Domini, primo ex propinquitate illius ad Verbum, secundo ut esset connaturaliter principium cognitionis & amoris in ordine supernaturali; tertio ex habitudine ipsius Christi ad genus humanum, cujus est caput: non solum probat ne-

cessitatem gratiae habitualis ex eo quod in Christo requiratur aliqua forma perquam ejus anima formaliter sanctificetur: At si non sanctificaretur humanitas Christi, ex vi doni substantialis formaliter, sed solum per gratiam habituales, illius necessitatem probaret ob effectum sanctificationis praestandum, cum sanctitas animae sit praecipuus effectus gratiae habitualis a quo sanctificatio appellatur: Ergo manifeste sentit, ad hunc effectum illam non fuisse absolute necessariam in Christo, & consequenter ex vi doni substantialis distincti a gratia habituali, nempe gratiae unionis, humanitatem Christi sanctificari formaliter. Unde infra quae. 22. art. 2. ad 3. ait illam in passione habuisse virtutem hujus sanctificationis, ex antiqua caritate, & gratia unionis sanctificante eam absolute.

Favent etiam Concilia & SS. Patres; nam Concilium Francofordiense in Epistol. ad Episcopos Hispaniae, sic ait: Christus natura unicus, non per gratiam, quia in illo plane fuit divinitas. Et Cyrillus lib. 4. in Joannem dicit: Christum unicum esse, non sicut alios sanctos & Reges, sed quia Verbum caro. Item Nazianzenus orat. 36. fere in fine, de variis Christi nominibus agens, quae ei in Scriptura tribuuntur: Christus (inquit) dicitur propter divinitatem, eo enim unicus est humanitatis, non operatione, ut in Christi ererit, unicus, sed totius unigenitus praesentis caelestis effectus est, id quod unicus, homo nuncupatur, & quod unicus Deus fiat. Et idem subdit, Christum esse divinitate delibatum, hac enim humanitatis unio est. Similiter Damascenus lib. 1. de imaginibus ait, quod humanitas Christi, non operatione Dei unio est, ut unusquisque Prophetarum, sed totius unigenitus praesentis. Demum Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in contemplatione mystica rerum Ecclesiasticarum, Christum dicit unicum esse tanquam Regem & Sacerdotem, unione Incarnationis. Ex quibus locis sic licet arguere: Apud Patres Ecclesiae idem est esse unicum ac sanctum formaliter, unde iusti, Christi vocantur, juxta illud Psalmi 104. Nolite tangere Christum meum: Sed Christus, in quantum homo, est substantialiter unicus a divinitate, quae, ut ait Nazianzenus, humanitatis unio est: Ergo Christus, in quantum homo, est substantialiter sanctus per aliquod donum a gratia habituali distinctum.

Dices: Nazianzenum & alios SS. Patres afferentes divinitatem esse unitionem humanitatis, non esse intelligendos in sensu formali, quasi ipsa divinitas sic formaliter ratione sui unio humanitatis, sed in sensu causali, quatenus scilicet ex unione divinitatis cum humanitate, derivatur & refertur in anima Christi gratia habitualis, qua humanitas ejus formaliter ungitur, & formaliter sanctificatur.

Sed contra: Si divinitas solum casualiter sanctificaret humanitatem Christi, sanctificaretur operatione divina cum gratia formaliter sanctificans illam, a divinitate efficienter causeret: Sed Nazianzenus & Damascenus dicunt, quod divinitas est unio humanitatis, non operatione, ut in aliis Christi, sanctificans, sed totius unigenitus praesentis: Ergo divinitas non casualiter tantum, sed etiam formaliter, est unio & sanctitas humanitatis Christi.

Confirmatur: Juxta Nazianzenum aliter comparatur divinitas ad humanitatem Christi in ratione uniois & sanctitatis, ac ad alios homines iustos: Sed divinitas est aliorum iustorum sanctitas & unio casualiter: causat enim in illis gratiam qua ungitur & sanctificantur formaliter: Ergo divinitas est unio & sanctitas formalis, & non solum casualis humanitatis Christi.

Potest etiam conclusio hac ratione suaderi. Ex vi gratiae unionis sanctificatur formaliter humanitas Christi: Sed gratia unionis est aliquid substantiale a gratia habituali distinctum: Ergo humanitas Christi sanctificatur formaliter ab aliquo substantiali, distincto a gratia habituali. Minor patet, Major probatur. Homo per gratiam habituales habet quod sit formaliter sanctus: primo quia per illam trahitur ad esse divinum, seu ad participationem divinae naturae, quae est ipsa sanctitas per essentiam; secundo, quia per illam filius Dei constituitur; tertio, quia talis gratia habet repugnantiam cum peccato: At haec tria multo perfectius conveniunt gratiae unionis: Ergo per illam humanitas Christi sanctificatur formaliter. Major patet, Minor vero suadetur quantum ad singulas partes. In primis enim per gratiam unionis humanitas Christi multo perfectiori modo trahitur ad esse divinum, quam gratiam habituales; nam per illam trahitur ad esse divinum in se; per illam vero trahitur ad esse divinum solum per participationem. Deinde Christus ut homo, per gratiam unionis fit nobiliori modo Dei filius, quam iusti per gratiam habituales; cum per gratiam unionis Christus filius Dei naturalis, & iusti per gratiam habituales, filii solum adoptivi constituantur. Item unio hypostatica majorem habet impossibilitatem cum peccato, quam gratia habitualis, ut patet infra, cum agemus de Christi impeccabilitate: Ergo &c.

Confirmatur: Donum in radice continens omnia alia dona ad ordinem gratiae spectantia, reddit subiectum amabilius dilectum a Deo, in quo consistit esse sanctum forma-

formaliter. Sed gratia unionis est donum humanitati factum, continens omnia alia dona ad ordinem gratiae speciosa, nimirum gratiam habituales, virtutes, dona, gloria &c. cum ex vi illius haec omnia humanitati Christi sint debita: Ergo gratia unionis constituit ratione sui humanitatem Christi sanctam & Deo gratiam formaliter. Quod ut melius percipiatur, & omnis tollatur equivocatio

- 7 Diligentem observandum est, quod quando dicitur, gratiam unionis sanctificare humanitatem Christi formaliter: *ly formaliter* duobus modis usurpari potest. Primo contrapositive ac radicaliter, & prout significat id quo vere & proprie atque actualiter humanitas Christi sanctificatur: Secundo contrapositive ac materialiter, & prout sanctificationem informantem, seu inhaerentem importat. Hic ergo sumitur primo non secundo modo, quia sanctificatio non praestatur a Verbi persona, ut a forma physice informantis, sed tantum terminante. Veruntamen sicut ex eo quod humanitas Christi constituitur subsistens per illam, absque informatione physica, non licet inferre illam non reddi formaliter subsistentem per subsistentiam Verbi. Ita ex eo quod eadem humanitas non sanctificatur a Divinitate, ut a forma informantis, vel inhaerente, colligi nequit illam non esse sanctam formaliter.

§. II.

Solvuntur objectiones.

- 8 **O**bjicies primo: Si humanitas Christi esset sancta substantialiter per gratiam unionis, gratia habitualis esset in Christo inutilis: Sed hoc non est dicendum, ut infra patebit: Ergo nec illud.
- 9 Respondeo negando sequelam Majoris: licet enim humanitas Christi per communicationem substantialem deitatis sanctificetur formaliter, quia tamen per illam non constituitur connaturale principium operationum supernaturalium intelligendi & amandi, non excluditur necessitas gratiae habitualis, per quam talis humanitas constituitur divina per participationem, & hujusmodi actuum connaturale principium, ut docet D. Thomas hic artic. 1. & constat ex dicendis disput. sequenti.
- 10 **O**bjicies secundo: Effectus formalis primarius alicujus formae, nequit praestari ab alio quam ab ipsa forma, cum ab illa non distinguatur, sed sit ipsamet forma ut communicata subjecto: At esse formaliter sanctum, est effectus formalis gratiae habitualis, ut colligitur ex Tridentino sess. 6. cap. 7, ubi definitur gratiam esse causam formalem nostrae justificationis, subindeque & nostrae sanctificationis: Ergo a dono substantiali a gratia habituali distincto praestari nequit, & consequenter humanitas Christi Domini per solam gratiam habituales redditur formaliter sancta.
- Confirmatur: Quod constituit Christi animam sanctam radicaliter, non potest simul illam constituere talem formaliter: Sed gratia unionis constituit Christi animam sanctam radicaliter: Ergo ipsam non constituit talem formaliter. Minor constat, nam unio hypostatica est radix gratiae habitualis, quae sanctificat formaliter Christi animam. Major vero probatur: Nihil potest simul se habere respectu ejusdem effectus formalis, per modum radices, & per modum constitutivi formalis illius: unde quia homo per animam rationalem est radicaliter rationalis, non potest per eandem esse formaliter talis, sed solum per rationalitatem quae ipsum constituit formaliter rationalis: Ergo quod constituit animam Christi sanctam radicaliter, non potest simul illam constituere talem formaliter.
- 12 Ad objectionem respondent aliqui, effectum formalem alicujus formae posse praestari non solum a tali forma, sed etiam ab alia in qua emittenter continetur: unde quia natura divina, quae est sanctitas increata, eminenter continet gratiam habituales, potest illius effectum formalem humanitati Christi praestare.
- 13 Sed haec solutio displicet, Tum quia si increata sanctitas unius humanitati, illi effectum gratiae habitualis praestaret, illa superflueret in anima Christi. Tum etiam quia Deus per seipsum immediate potest effectum formalem luminis gloriae, & habitus caritatis, intellectui aut voluntati praestare, subindeque vices illarum qualitatum supernaturalium gerere, quod communiter negant Theologi, & probant ex eo quod id quod uniter per modum principii, vitalis, sive radicalis, sive proximi, necessario debet physice informare subjectum, quae informatio divina perfectioni repugnat.
- 14 Melius ergo respondetur, concessa Majori, distinguendo Minorem: Esse formaliter sanctum sanctitate accidentali, est effectus formalis gratiae habitualis, concedo Minorem. Esse formaliter sanctum sanctitate substantiali, nego Minorem, & Consequentiam, nam per unionem hypostaticam Christi anima non habet quod sit formaliter sancta sanctitate accidentali, sed substantiali atque personali. Unde ad confirmationem, distinguo Majorem:

Quod constituit animam Christi sanctam radicaliter, sanctitate accidentali, non potest illam constituere talem formaliter: eadem sanctitate accidentali, concedo: alia sanctitate, scilicet substantiali & personali, nego. Nihil enim repugnat aliquid esse radicem respectu unius, & simul esse formam constitutivam alterius.

Objicies tertio: Forma unita subjecto omnem suum effectum formalem illi tribuit: At si Verbum uniretur naturae irrationali, eam sanctam non redderet sanctitate substantiali: Ergo talis sanctitas non est effectus formalis gratiae unionis, subindeque humanitas Christi per tale donum non redditur sancta substantialiter.

Respondeo quod licet forma unita subjecto capaci, omnem suum effectum formalem illi tribuat, secus tamen quando in subjecto non invenitur capacitas ad omnem effectum formalem formae quae ipsi communicatur: ut constat in gratia habituali, quae non dat Christo ut homini esse filium adoptivum, quia in illo ad hunc effectum non reperitur capacitas. Constat etiam in subsistentia Verbi unita naturae bruti, quia illam personam non redderet, sed tantum suppositum, est Verbi personae utrumque praestare sit potens: quia unius & non alterius effectus capax est bruti natura. Cum ergo natura irrationalis non sit capax sanctitatis, Verbum illi unum non redderet illam sanctam, defectu capacitatis, licet esse sanctum substantialiter sit effectus formalis gratiae unionis. Potestque argumentum retorqueri in Adversarios: Nam licet illi exhibent gratiam unionis non habere vim sanctificandi formaliter, tamen illam sanctificare radicaliter humanitatem Christi, quem effectum sanctitatis radicalis non praebet in genere causae efficientis, sed in genere causae formalis; & tamen Verbum naturae irrationali unum, non redderet illam radicaliter sanctam: Ergo ex eo quod unitum naturae irrationali, non redderet eam sanctam formaliter, perperam colligitur talem sanctitatem non esse effectum formalem gratiae unionis.

Dices: Effe effectus formalis secundarius possit separari a forma communicata subjecto, effectus tamen formalis primarius, ab illa inseparabilis est, cum effectus formalis primarius nihil aliud sit quam forma communicata subjecto: Sed esse sanctum substantialiter, sit praestatur a gratia unionis, non est secundarius, sed primarius effectus illius: sicut esse sanctum sanctitate accidentali, est primarius effectus gratiae habitualis: Ergo non poterit a gratia unionis alicui subjecto communicata separari.

Respondeo negando Majorem; nam personam constitutivam est effectus primarius personae Verbi, & relatum esse, est effectus primarius filiationis divinae; & tamen subsistentia Verbi naturae irrationali unita, personam non constitueret, sed tantum suppositum; & filiaio Verbi humanitati unita, non relet humanitatem, sed tantum illam subsistentem reddit: Ergo forma subjecto communicata, potest illi non praestare omnem suum effectum formalem, quantumvis primarius sit, ob incapacitatem subjecti, & consequenter quomvis videatur quod esse sanctum substantialiter, sit effectus formalis primarius gratiae unionis, tamen poterit ab ipsa non communicari naturae irrationali, quia incapax est hujusmodi effectus. Nec obstat probatio in contrarium, quia effectus formalis primarius, non est forma communicata nisi subjecto capaci.

Respondeo secundo, data Majori, negando Minorem: sicut enim effectus formalis primarius gratiae habitualis, est reddere hominem formaliter accidentalem, seu naturae divinae participem; reddere vero illam sanctam & gratiam Deo accidentalem, est effectus dumtaxat illius secundarius. Ita reddere naturam deificatam substantialiter, est effectus formalis primarius gratiae unionis: sanctitas vero substantialis secundario tantum ab illa procedit, subindeque ab illa separabilis est de absoluta Dei potentia.

Objicies quarto: Illud solum sanctificare potest formaliter, ratione cuius subjectum non acceptatur ad gloriam: Sed ratione gratiae unionis subjectum non acceptatur ad gloriam, cum possit Deum humanitati Verbo Divino hypostaticae unire, vitam aeternam negare de absoluta potentia: Ergo per gratiam unionis non sanctificatur formaliter.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad cuius probationem dicendum, quod in casu quo Deus humanitati Verbo hypostaticae unire vitam aeternam negaret, maneret humanitas ex vi gratiae unionis acceptata ad vitam aeternam in jure, et in re & de facto non esset acceptata ad illam, ut exigebat quantum est de gratia unionis: hoc vero sufficit ut formalis sanctitas sit, ut patet in ipsa gratia habituali, quae sanctificat hominem formaliter sanctitate accidentali, quia dat jus ad beatitudinem, & facit hominem acceptum ad illam in jure, quamvis de potentia absoluta homo iustus, & in gratia constitutus, in re & de facto possit non acceptari ad illam; potest enim Deus homini in gratia constituto vitam aeternam negare, immo & illum in aeternum punire, sua utens absoluta potentia.

Dices: Si gratia unionis esset Deo ratio diligendi huiusmodi.

mentem Christi in ordine ad beatitudinem, vel esset ratio illam diligendi in ordine ad beatitudinem, amore necessitatis, vel amore libero? Primum dici non potest, cum Deus extra se nihil necessario diligat. Nec etiam secundum: nam bonum infinitum (quale est gratia unionis) non liberum, sed necessarium terminat amorem: Ergo gratia unionis non est ratio diligendi humanitatem Christi in ordine ad beatitudinem, nec per consequens illam sanctificat formaliter.

Respondeo negando Minorem, quantum ad secundam partem, ad cuius probationem dicendum, quod quamvis infinitum bonum in seipso, necessarium terminet amorem in Deo, ut tamen natura creata communicatum, non terminat amorem necessarium, sed liberum: ut patet in actibus Christi meritoris & satisfactoris, qui licet infinitate quadam morali gaudeant, ut disput. 4. ostendimus, tamen non necessitant voluntatem divinam ad premium, nec ad poenam remissionem, nisi supposito pacto, quia non sunt per essentiam, sed per communicationem infiniti.

ARTICULUS II.

A quo sanctificetur formaliter humanitas Christi sanctitate substantiali: sive a modo unionis, vel a personalitate, vel a sola Natura Divina.

Ostendimus articulo precedenti, humanitatem Christi sanctificari formaliter, sanctitate substantiali, per gratiam unionis: Sed quia in tali gratia tria considerari possunt, quae possunt reddere Christi animam formaliter sanctam, scilicet: modus unionis humanitatis Christi cum personalitate Verbi, quem aliqui probabiliter admittunt; ipsa personalitas, quae immediate tali humanitati conjungitur; & natura divina in ipsa personalitate inclusa, quae secundario tantum, & mediante personalitate, eidem humanitati unitur; difficultas est & controversia inter Theologos, quodnam ex illis tribus sanctificet formaliter humanitatem Christi sanctitate substantiali? Aliqui enim existunt illam formaliter sanctificari a modo unionis, alii a personalitate Verbi, alii vero a divinitate, prout a personalitate distincta virtualiter.

§. I.

Rejicitur aui primo sententia, & tertia ut verior & probabilior eligatur.

Dico primo, sanctitatem substantialem humanitatis Christi, non esse formaliter a modo unionis, quem aliqui inter humanitatem & Verbum constitunt.

Hanc conclusionem probat Aquinas hic disp. 30. cap. 3. quia si unio esset forma praestans effectum sanctitatis, sequeretur aperte non posse aliquid divinitus naturam rationalem; nam ubi est impossibile effectus formalis formae intrinsece inherens, impossibile est talem formam reperi: natura autem irrationalis est incapax sanctitatis: non potest igitur recipere unionem, si ab illa tanquam a forma sanctitatis in natura assumpta proveniat.

Sed haec ratio non valet; quia ut articulo precedenti ostendimus, & variis exemplis declaravimus, licet forma unita subjecto capaci omnem suum effectum formalem illi tribuat, secus tamen quando in subjecto non invenitur capacitas ad omnem effectum formalem formae quae ipsi communicatur. Unde sicut nihil est quod oblat videatur quominus gratia habitualis collocetur divinitus in lapide, sique nihilominus non dicatur sanctus, nec fiat obiectum amoris amicitiae divinae, sed tantum dicatur habens illam formam: quae in subjecto capaci praestaret effectum illum moralem reddens sanctum, obiectum dilectionis: ita nihil vetat unionem hypostaticam cum persona Verbi naturae irrationali communicari, & in illa esse modo mere physice, & absque eo quod illi tribuat effectum formalem sanctitatis: Haec ergo ratio praetermissa.

Probatur primo conclusio: Modus unionis non est sanctitas per essentiam, cum sit aliquid creatum, nec sanctitas per participationem, cum non sit participatio sanctitatis per essentiam, nempe naturae divinae, sub conceptu naturae, cui soli convenire potest predicatum sanctitatis per essentiam, ut ex dicendis infra constabit: Ergo non est sanctitas formalis, & consequenter non potest effectum sanctitatis praestare.

Probatur secundo ratione fundamentali. Si daretur modus unionis inter humanitatem & Verbum, ille quantum ad sanctitatem animae, aliud non faceret quam applicare & unire ipsi animae bonum increatum, quod formaliter eam sanctificat: esset enim essentialiter unio & applicatio talis boni: Ergo non potest dici quod sanctificaret formaliter animam Christi; sicut neque propter similitudinem rationem potest dici quod unio gratiae habitualis cum anima formaliter eam sanctificet, quod unio albedinis cum pariete ipsam debet formaliter, vel quod unio animae rationalis ad corpus formaliter illud animatum constituat.

Dico secundo: Personalitas Verbi, ratione illius quod addit ad perfectiones absolutas, non sanctificat humanitatem Christi formaliter.

Hae conclusio sequitur ex principiis quae Thomista magis communiter statunt in Tractatu de Trinitate, unde non video quomodo Joannes a S. Thoma, Cipullus, & alii ex recentioribus Thomistis, oppositam possint docere sententiam: docent enim communiter Thomistae in praedicto Tractatu de Trinitate, personalitates divinas ratione illius quod addunt ad essentiam, bonitatem, aut perfectionem non dicere: Sed sanctitas formalis, per se & bonitas est, cum subjectum quod sanctificat, reddat amabile amabili dilectione, obiectum vero amoris fit bonum. Ergo personalitates divinae, ratione superadditi ad essentiam, sanctitatem non informant, sed tantum ratione essentiae quam includunt, & consequenter personalitas Verbi, ratione illius quod addit ad essentiam, non sanctificat humanitatem Christi.

Confirmatur, & magis illustratur haec ratio: Ex eo quod precipue probant nostri Thomistae in Tractatu de Trinitate, relationes divinas perfectionem ad essentiam non addere, quia alias darentur in Deo tres perfectiones relative, ex quo ulterius sequeretur perfectiones divinas inter se comparatas, inaequales esse, & cuilibet ex divinis personis aliquam perfectionem deesse. Pari scilicet perfectionem filiationis, & illio perfectionem paternitatis: Sed non minus inconveniens est, multiplicari sanctitates in Deo, & concedere sanctitatum inaequalitatem, & cuilibet ex divinis personis aliquam sanctitatem deesse: Ergo si velit loqui consequenter ad sua principia, negare tenentur relationes divinas, ratione illius quod addit ad essentiam, dicere sanctitatem, subindeque personalitatem Verbi, ratione illius quod addit ad naturam divinam, seu quatenus ab illa virtualiter distinguitur, non sanctificare humanitatem Christi.

Potest etiam suaderi conclusio hac ratione efficaci. Per sonalitates Verbi, ut virtualiter a natura distincta, non est sanctitas: Ergo prout sic non sanctificat formaliter Christi humanitatem. Consequentia manifesta est, Antecedens probatur. Si personalitas Verbi, ut virtualiter a natura distincta, esset sanctitas, vel hoc ei conveniret ex conceptu particulari quo ab attributis & aliis divinis formalitatibus distinguitur virtualiter, vel ex conceptu essentiali divinitatis transcendentis, transcendentia per rationem omnes Dei perfectiones & formalitates: Sed nullo ex his modis convenit personalitati Verbi ratio sanctitatis: Ergo non est sanctitas ratione illius quod addit ad essentiam. Major patet, Minor etiam pro prima parte nota videtur; non enim apparet ratio, cur personalitas ex proprio conceptu sanctitas sit, & hoc ipsum aliis Dei attributis non competat. Pro secunda vero parte sic ostenditur. Si conceptus sanctitatis conveniret personalitati ratione entitatis divinae transcendentis praedicta transcendentia, sicut ratio ista entitatis multiplicatur realiter in relationibus, & virtualiter in attributis, etiam sanctitas realiter in relationibus multiplicaretur, & virtualiter in attributis, ac per consequens intellectus, prout a natura & voluntate virtualiter distinctus, sanctitas formalis esset, & idem dicendum esset de omnipotentia, voluntate, & aliis attributis: Consequens est falsum: Ergo &c. Sequela manifesta est, falsitas autem Consequentis probatur. Tum quia alia humanitas Christi esset sancta formaliter, non solum a personalitate & a natura divina, sed etiam ab intellectu divino, a voluntate, ab omnipotentia, & aliis attributis, & perfectionibus Dei, quod non admittunt Adversarii. Tum etiam quia si intellectus Dei vi. g. ut a voluntate & natura divina distinctus, esset sanctitas increata formaliter, participatio divini intellectus esset sanctitas participata; sicut quia natura divina, ut ad attributis virtualiter distincta, est sanctitas per essentiam, formalis participatio naturae divinae, nempe gratia habitualis, est sanctitas participata: Sed fides, propheta, lumen gloriae, & similia, quae sunt participaciones formales divini intellectus, non sunt sanctitas per participationem, alioquin homo sanctificaretur per donum prophetiae, & iustificaretur per fidem, quod est erroneum, & a Tridentino damnatum: Ergo &c.

Dico tertio, divinitas, prout a personalitate distincta, virtualiter, sanctificat humanitatem Christi.

Hae conclusio colligitur ex supra dictis. In primis enim juxta SS. Patres articulo precedenti citatos, eo sanctificatur humanitas Christi, quo ungitur: Sed a deitate ungitur, juxta illud quod ex Nazianzeno ibidem retulimus, *Christus dicitur propter divinitatem, ea enim humanitatis nullus est*: Ergo humanitas Christi a deitate sanctificatur.

Secundo, Humanitas Christi, praecedenter ad gratiam habituales, est substantialiter sancta, ut ibidem monstravimus. Sed non a modo substantiali unionis, non a personalitate, ratione superadditi ad essentiam, praecedentibus conclusionibus ostentum est: Ergo a Deitate, prout a personalitate virtualiter distincta.

Tertio,

33 Tertio, Divinitas sub conceptu naturae est sanctitas in-
finita, tum quia participatio illius, nempe gratia habi-
tuali, sanctitas finita est: Tum etiam quia est prima ra-
dix vivendi & amandi Deum, in quo ratio Sanctitatis
consistit: Ergo unita humanitati Christi formaliter illam
sanctificat.

Nec obicit quod illi non uniat immediate, sed me-
diate tantum: mediate scilicet personalitate Verbi, cui
immediate conjungitur: Tum quia gratia totum sanctifi-
cat hominem, est non uniat toti homini immediate:
Tum etiam, quia divinitas mediate unita, reddit existen-
tiam humanitatem: Ergo & sanctam, non obitante unionis
mediatione.

§. II.

Principales objectiones solvuntur.

34 Obijcies primo contra primam conclusionem: SS. Pa-
tres relati a Suarez hic disput. 53. sect. 3. asserunt
humanitatem Christi sanctificatam fuisse per unionem ad
Verbum, quam idcirco B. Augustinus lib. 13. de Trinit.
cap. 19. & in Enchirid. cap. 40. summam gratiam appellat:
Ergo sanctitas substantialis animae Christi, est formaliter
a modo substantiali unionis, quo humanitas Christi con-
jungitur personalitati Verbi.

35 Sed nego Consequentiam, nam SS. Patres non loquun-
tur de modo unionis creato, se tenente ex parte huma-
nitatis (hunc enim non agnovissent, sed a quibusdam Scho-
lasticis inventus est) sed de unionem Verbi increata, id est
de communicatione personalitatis Verbi humanitati Christi,
haec enim talem humanitatem sanctificat formaliter, non
ratione illius quod explicat, sed ratione praedicati in illa
ratione importat, nempe naturae divinae, quae est prima
radix videndi & amandi Deum, in quo ratio sanctitatis
consistit: Ideoque unionem illam, summam gratiam, vo-
cavit Augustinus.

Dicit etiam potest, SS. Patres solum velle unionem fan-
ctificari humanitatem Christi vitaliter, inchoative, & uni-
versam, quatenus unio humanitatis ad Verbum, est via ad
sanctitatem a divinitate praesandam, non vero eam sanctifi-
cari a modo unionis formaliter.

36 Obijcies secundo: Modus unionis hypostatice cum omni
peccato sine actuali sine habituali incompatibilis est, ut
dicemus infra, cum agamus de impeccabilitate Christi:
Sed forma expellens peccatum, & cum illo incompatibi-
lis, est sufficiens ad sanctificandam formaliter: Ergo mo-
dus unionis hypostatice formaliter humanitatem Christi
sanctificat.

37 Respondeo distinguendo Majorem: Modus unionis hypo-
statice cum omni peccato incompatibilis est, ratione
sui, & directe, nego Majorem: indirecte, & ratione Di-
vinitatis cui unit humanitatem, concedo Majorem: & sub
eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam.

38 Explicatur & illustratur solutio hoc exemplo: Actus
caritatis (in sententia asserente non posse esse de potentia
absoluta nisi a gratia habituali) cum peccato incompatibilis
est, quia cum gratia essentialiter connectitur, & tam-
cum peccato habituali incompatibilitatem habet, & ta-
men actus dilectionis non sanctificat formaliter: quia non
pugnat cum peccato directe & ratione sui, sed indirecte
& ratione alterius, nempe ratione habitualis gratiae cui
connectitur. Ita pariter licet modus unionis hypostatice
cum peccato incompatibilis sit, quia tamen non pugnat
cum illo directe & ratione sui, sed indirecte & ratione
divinitatis cui unit humanitatem, istam non sanctificat
formaliter, sed vitaliter tantum & inchoative, quatenus
est via ad sanctitatem a Divinitate praesandam.

39 Obijcies tertio: Ab illo sanctificatur formaliter huma-
nitas Christi, a quo desinitur formaliter: Sed desinitur
formaliter a modo unionis hypostatice: Ergo ab illo fan-
ctificatur formaliter. Major patet, Minor probatur. Hu-
manitatem esse desinitam, nihil aliud est quam esse di-
vinitati conjunctam: Sed esse conjunctam divinitati, est
formalis effectus unionis hypostatice: Ergo humanitatem
esse desinitam, praesertim ab unione formaliter.

40 Respondeo, concessa Majori, negando Minorem; nam
scit esse vivam, quamvis explicetur per hoc quod est
terminare visionem, non est formalis effectus seu deno-
minatio terminationis, sed visionis terminatae; & esse san-
ctam in medicina, & urina, quamvis explicetur per hoc
quod est esse causam vel signum sanitatis, non est tamen
formalis denominatione a significatione aut causalitate san-
tatis, sed ab ipsa sanitate significata, vel causata: sic
esse desinitam, tamen explicetur per hoc quod est esse
deitatis conjunctam, non est tamen effectus formalis, seu
denominatio a conjunctione deitatis, sed ab ipsa divinitate;
unde ex eo quod unio hypostatice seu modus unionis
sit formalis ad deitatem conjunctio, non sequitur esse for-
maliter desinitam formaliter: sicut nec conjunctio cum
igne, est id a quo lignum constituitur ignitum formaliter,
sed ignis ipse: quo exemplo usus est Damascenus
ad explicandam desinitationem humanitatis a Verbo.

Obijcies quarto: Unio hypostatice seu modus substan-
tialis unionis, est donum nobilitatis & perfectius gratia ha-
bituali: Sed gratia habitualis reddit hominem formaliter
sanctum: Ergo a fortiori unio hypostatice sanctificat for-
maliter Christi humanitatem.

Sed nego consequentiam & paritatem: esto enim unio
hypostatice excellencior sit habituali gratia, quia tamen
ad rationem naturae, nam gratia in suo ordine ob-
tinet rationem naturae, focus vero unio hypostatice, seu
modus substantialis unionis, non autem unio hypo-
statice; illa enim est forma sanctificans quae est radix do-
norum pertinentium ad ordinem gratiae, & quae proinde
in tali ordine se habet per modum naturae.

Obijcies quinto: Modus substantialis unionis, vere &
proprie gratia est, unde Augustinus super caritatem, unionem
humanitatis ad Verbum, summam gratiam appellat: Ergo
ex vi illius Christus ut homo gratus est & Deo acceptus,
ac proinde sanctus formaliter.

Sed nego etiam illam consequentiam; nam omne bene-
ficiam nobis a Deo grate concessum; gratia est, & ta-
lis nuncupatur a Theologis, & tamen omne beneficiam
sic a Deo nobis concessum, non sanctificat nos formaliter,
ut constat in fide, quae beneficiam est, & gratia super-
naturalis, & tamen homines per fidem non sanctificari
formaliter, certum de fide est, & Tridentino definitum.
Constat etiam in dono caritatis sive actualis, sive habi-
talis, quod gratia est, & tamen non reddere hominem
gratum & sanctum formaliter, frequentior Theologorum
sententia docet. Constat pariter in visione beatifica,
quam esse maximam gratiam & donum, nullus inficiari
potest; & tamen ipsam non sanctificare formaliter,
probabilior tenet sententia. Non ergo valet ista conse-
quentia: Modus substantialis unionis est gratia facta hu-
manitati Christi: Ergo reddit illam gratam & sanctam
formaliter.

§. III.

Solvuntur aliae objectiones, contra secundam & tertiam
conclusionem huius solutio.

Obijcit primo contra secundam conclusionem: Gra-
tia unionis, prout gratia unionis est, sanctificat
humanitatem Christi formaliter, ut articulo precedenti
ostensum est: Sed personalitas Verbi, ratione illius quod
addit ad Divinitatem, est gratia unionis: Ergo prout sic
sanctificat Christi humanitatem formaliter. Minor probatur:
Gratia unionis est donum substantiale personaliter
communicatum humanitati Christi: Sed personalitas Ver-
bi, ratione superadditi ad essentiam, est donum substan-
tiale personaliter communicatum humanitati Christi, cum
prout sic terminet humanitatem, & illam subsistentem con-
stituat: Ergo personalitas Verbi, ratione illius quod
addit ad divinam essentiam, est gratia unionis facta hu-
manitati Christi.

Respondeo distinguendo Majorem: Gratia unionis com-
plete sumpta, sanctificat humanitatem Christi formaliter,
concedo Majorem: incomplete sumpta, nego Majorem:
& sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam.

Explicatur solutio hoc exemplo, seu hac instantia: 47
Modus substantialis unionis, in sententia illorum, qui
illam in humanitate Christi admittunt, vere gratia unio-
nis est, cum sit donum substantiale, personaliter hu-
manitati Christi collatum; & tamen quia non est gra-
tia unionis complete & adequate sumpta, sed incom-
plete tantum & inadecuate, non sanctificat humanitatem
Christi formaliter, juxta frequentiorum Theologorum sen-
tentiam. Ita pariter, quia personalitas Verbi, ut ter-
minans ratione sui humanitatem, pro priori ad unio-
nem cum divina natura, quae mediante personalitate
unitur, non est gratia unionis consummate & comple-
te, sed incomplete & vitaliter (talis enim gratia com-
plete consistit in unione cum divina natura) ideo per-
sonalitas Verbi, prout immediate & ratione sui unita hu-
manitati, illam non sanctificat formaliter, sed ratione na-
turae divinae quam unit, & quae transcendentaliter in ea
includitur.

Obijcit secundo: Per id sanctificatur humanitas Chri-
sti formaliter, quod terminat hypostatice amorem: Sed
personalitas Verbi ratione illius quod addit ad essentiam,
terminat amorem hypostatice: Ergo sanctificatur for-
maliter per substantiam Verbi, ut virtualiter distinctam
a natura divina. Minor est certa, Major vero fidei.
Amor hypostaticus est major amore adoptivo: Sed per
id sanctificatur homo formaliter, quod terminat amorem
Dei adoptivum: Ergo per id etiam sanctificatur huma-
nitas Christi formaliter, quod amorem hypostatice ter-
minat.

Respondeo distinguendo Majorem, quod terminat amo-
rem hypostaticum ultimo, concedo Majorem: non ulti-
mo, nego Majorem; & sub eadem distinctione Minoris,
nego.

nego Consequentiam. Et infuso in modo unionis, ratione
cujus terminat humanitas Christi amorem hypostaticeum,
in sententia illorum, qui talem modum in humanitate Chri-
sti admittunt, quia tamen ille modus non est terminus
ultimus talis amoris, sed ulterius tendit, nempe ad Verbi
substantiam, non sanctificat Christi humanitatem. Sic
in presenti, quia amor hypostaticus non sinit in substi-
tencia Verbi, sed ulterius tendit ad communicandam na-
turam divinam, non substantiam, sed natura ultimo ter-
minans, humanitatem Christi sanctificat.

Dices, terminus non ultimus praedestinationis adopti-
vae, sanctificat animam iusti, scilicet gratia habitualis:
Ergo etiam terminus non ultimus praedestinationis hypo-
statice, sanctificabit formaliter humanitatem Christi.

Sed nego Consequentiam, nam inter terminos non ul-
timos praedestinationis adoptivae continetur habitualis gra-
tia, quae cum natura sit in ordine supernaturali, est suf-
ficiens ad sanctificandam formaliter; & ideo sanctificat,
non quia terminus est praedestinationis adoptivae, alias
omnis terminus hujus praedestinationis sanctificaret for-
maliter, quod est falsum, cum nec auxilia sufficientia,
nec efficacia, nec actus contritionis, nec alia dona gra-
tiae, immo nec visio beatifica, quae terminus ultimus est,
praebant sanctitatem formalem, sed ideo sanctificat, quia
talis terminus est, nempe in quo Dei natura participata
invenitur: personalitas autem Verbi, ratione illius quod
divinitati superaddit, non est natura divina nec per ef-
fectum nec per participationem; & ideo quamvis termi-
net non ultimo Christi praedestinationem, non sanctificat
humanitatem Christi formaliter.

Obijcit tertio: Gratia habitualis sanctificat formaliter
animam, quia illam desinit: Sed personalitas Verbi, ut
virtualiter a natura distincta, perfectiori modo desinit
Christi humanitatem, cum desinit illam substantialiter;
gratia vero solum accidentaliter: Ergo a fortiori persona-
litas Verbi, ut virtualiter a natura distincta, sanctificat
formaliter Christi humanitatem.

Respondeo non quamlibet desinitationem, sed illam,
quae est naturae sub conceptu naturae, esse sanctificatio-
nem, cum forma sanctificans sit radix donorum pertinenti-
um ad ordinem gratiae, & terminet amorem divinum;
dando radicaliter vim ad Deum redandam: unde quia
gratia habitualis, ratione sui desinit desinitationem naturae,
quamvis participata, personalitas autem Verbi, prout
a natura distinguitur, non desinit deitate naturae, sed
deitate communi naturae & omni formalitati divinae, in-
de fit quod gratia habitualis sanctificat formaliter, focus
autem Verbi personalitas, ratione illius quod superaddit
naturae. Unde ad argumentum in forma respiciendum,
distinguo Majorem: Gratia habitualis sanctificat for-
maliter animam, quia illam desinit desinitatione natu-
rae, concedo Majorem: quia illam desinit quomodocum-
que, seu quancumque desinitationem, nego Majorem. Simi-
liter distinguo Minorem: personalitas Verbi ut virtus
liter a natura distincta, perfectiori modo desinit, desi-
nitione naturae, nego Minorem. Desinitatione commu-
ni naturae & omni formalitati divinae, concedo Minorem,
& nego Consequentiam.

Obijcit quarto: Per id sanctificatur humanitas Chri-
sti formaliter, cui immediatus unitur: Sed immediatus
unitur substantia Verbi, quam naturae divinae, cum sit
mediate solum Verbi personalitate conjungatur: Ergo
sanctificatur formaliter per substantiam Verbi, non vero
per naturam divinam.

Respondeo Majorem esse absolute falsam, & instan-
tiam habere manifestam, tum in unione gratiae habitua-
lis ad animam, cui immediatus anima unitur, quam
gratiae habitualis, & tamen non per unionem, sed per
gratiam sanctificatur formaliter: Tum etiam in modo
unionis hypostatice, quem aliqui inter humanitatem as-
sumptam & Verbum Divinum admittunt: illi enim im-
mediatus unitur humanitas, tamen substantia Verbi;
& tamen ab illo non sanctificatur formaliter, ut in pri-
ma conclusione ostendimus, & tenet frequentior Theo-
logorum sententia. Major ergo solum est vera, quando
illud, cui immediatus unitur humanitas, forma sanctifi-
cans est: unde quia personalitas Verbi, rationem supe-
raddit ad essentiam, sanctitas formalis non est, per illam
sub isto conceptu, quamvis immediatus unitam, non fan-
ctificatur humanitas Christi, sed per naturam divinam,
quae ratione sui forma sanctificans est.

Obijcit quinto contra tertiam conclusionem. Ut
Divinitas praestet humanitati sanctitatis effectum, re-
quiritur quod ei ut forma physica uniat: Sed divi-
nitas non potest per modum formae physicae humanitati
uniri, cum physica informatio dicat imperfectionem
naturae divinae repugnantem: Ergo divinitas non potest
sanctitatis effectum praestare humanitati assumptae, seu
illam sanctificare formaliter.

Respondeo, negando Majorem, sicut enim in ad-
versa sententia personalitas sanctificat humanitatem,
non per physicam informationem, sed per solum ter-
Theol. Genet. Tom. IV.

minationem; ita divinitas illam sanctificare potest, abs-
que eo quod illi per modum formae informantis phy-
sice uniat, per hoc solum quod illi conjungatur
per modum termini ipsam terminantis, non imme-
diate, & ratione sui, sed mediate, & ratione sub-
stantiae personalis Verbi, in qua transcendentaliter
includitur; unio enim mediata divinitatis cum huma-
nitate, sufficit ut ab illa sancta constituitur, ut supra
ostensum est.

Ad majorem hujus difficultatis elucidationem, & plu-
rium argumentorum solutionem, Advertendum est, in
sanctitate duas includi rationes seu conceptus inadua-
te distinctos, primus est esse radicem physicam actio-
num vitalium intelligendi & amandi Deum, secundus
est esse objectum congruam dilectionis divinae amabili-
s: quamvis autem natura divina non communicatur,
nec potest communicari humanitati Christi sub primo con-
ceptu seu formalitate, quia hoc importat imperfectionem
formae physicae, natura divina repugnantem, bene
tamen sub secundo, quia talis conceptus seu forma-
litas, nullam dicit imperfectionem. Sicut in visione
beatifica, essentia divina communicatur intellectui bea-
torum sub ratione speciei, non tamen ut principium in-
telligendi; quia in conceptu & munere speciei nulla
includitur imperfectio, bene tamen in conceptu radice
& principii intelligendi.

Dices primo: In gratia isti duo conceptus distinguan-
tur inaduate, & tamen non potest communicari sub
uno, nisi communicetur sub alio: Ergo pariter in na-
tura divina.

Sed nego consequentiam & paritatem, nam gratia 59
non potest nisi uno modo communicari, scilicet per in-
hazionem: eo autem ipso quod sic communicetur, ne-
cessario utrumque manus praestat, redditque hominem
objectum congruam divinae dilectionis, & radix est
actionum vitalium intelligendi & amandi Deum. Na-
tura vero divina communicari potest per immediatam &
mediatam terminationem, & communicata hoc secundo
modo, reddit humanitatem Christi objectum congruam
divinae dilectionis, absque eo quod suppleat in ea ra-
dicem physicam actionum vitalium intelligendi & amandi
Deum, sed hoc praestatur a gratia habituali animae
ejus infusa; illa enim in Christo, sicut & in aliis
sanctis, est principium radice vitae supernaturalis, seu
actionum vitalium intelligendi & amandi Deum, ut
infra patebit.

Dices secundo: Conceptus radice est prior in natu-
ra divina: Sed impossibile videtur communicari for-
mam sub conceptu posteriori, nisi etiam communicetur
sub priori: sicut implicat formam tribuere subiecto ef-
fectum suum formale secundarium, nisi etiam ei commu-
nicet primum: Ergo repugnat deitate communicari
humanitati Christi sub conceptu sanctitatis, nisi etiam
ei communicetur sub conceptu radice vitalis intelligendi
& amandi Deum.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem: 61
nam ratio speciei posterioris se habet in natura divina ad
rationem radice, & tamen unitur intellectibus beato-
rum in ratione speciei, absque eo quod ipsis uniat
sub conceptu radice: ratio etiam existentia, secun-
dum nostrum modum intelligendi, posterior se habet in
Deo ad rationem essentiae, & tamen unitur humanitati
Christi sub ratione existentiae, illam existentem consti-
tuendo, absque eo quod ipsi uniat formaliter sub con-
ceptu quidditatis & essentiae. Item in personalitate Ver-
bi prius concipitur ratio producta sub qua constituit Ver-
bum; deinde ratio hypostatice, sub qua constituit per-
sonam: postremo ratio referendi, sub qua constituit Fi-
lium; & tamen humanitati Christi non unitur sub ratio-
ne Verbi, nec sub ratione referentis, bene tamen sub ra-
tione personae, vel hypostatice.

DISPUTATIO XII.

De gratia Christi habituali.

Ad quaest. 7. D. Thomae.

Considerata sanctitate Christi substantiali, quae est a
gratia unionis, consequens est ut ejus sanctitatem
accidentalem, quae oritur a gratia habituali animae ejus a
principio conceptionis infusa, in hac disputatione contem-
plemur: & quae S. Doctor quaest. 7. de hujusmodi gratia
docet, breviter exponamus.